



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Conon M. 5. Martij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. CONON M. 5. Martij.

**I**Nter primos Ecclesiæ flosculos **C**ONONEM etiam numerabis, ut quem ætate Apostolorum floruisse scribunt. Huic etiam nepotum magis, quam virtutis cupidi parentes uxorem obtulerunt. Sed **C**ONON è sponso Paranympus factus virgini auctor fuit, in Christum potiùs amores suos transferret. Ita virgo uterque conjux vixit. Ut tamen non steriles fuisse autumes, Christo parentes suos genuit **C**ONON, magnamque aliam, & nunquam morituram posteritatem miracula post se reliquit. Ipse Angelorum primipilus Michaël visus edocuit **C**ONONEM, qui ritè sacris undis ringendum se præberet, epuloque sacro scite hospes accumberet. Dolebis credo, qui hæc legis, juventuti similem magistrum deesse. At cælum id ingemiscit potiùs, magistro huic similes hodie discipulus, Conones deesse. Sed quid discipulum voco, qui doctor sanioris doctrinæ parentibus, quemadmodum diximus extitit, eosque non nasci modò Christo, sed mori pro Christo docuit; ipse quoque flagris ad columnam religatus, & ad internecionem flagellandus, ni invitum tormentis Christiani eripuissent? Superstitionis hostis maximus palàm orcum fateri coëgit, nihil

Numinis sibi inesse, fueruntque mal-  
dæmones ludus CONONI. Certè pro  
imperio suo in illos, alios agris custo-  
des addidit, alios testis clausos terrâ ab-  
didit, & orbe terrarum vel mirante vel  
ridente, ædes inædificavit pessimis fun-  
damentis. Ex Menæis.

*Fides vivida & catholica est, quæ velut  
quoddam Æternitatis exemplar præterita  
simul & præsentia & futura sinu quodam  
vastissimo comprehendit; ut nihil ei præ-  
tercat, nihil pereat, nihil præcat. S. Bern.  
serm. 6. de Vig. Nat. Christ.*

S. FRIDOLINUS C. 6. Martij

**F** Elices exules, qui ut patriam qua-  
rant, exeunt patriâ! His FRIDOLI-  
NUM jure accenseas. Hibernus domo ex  
primâ nobilitate, tunc gentilitia decora  
se aucturum credidit, si superstitionem  
espugnatum iret, patriamque fidem ex-  
tra patriam proferret. Igitur fidei signa  
Rauracis aliisque Rheni accolis intulit,  
& rebelles nupèr cælo animos longè  
plurimos debellavit. Sub hæc visum est  
rei Christianæ tutandæ munitionem  
cœnobium exædificare. Id, quod hodie  
videmus, Sackingense est, cui conden-  
do Ursus vir apprimè nobilis patrimo-  
nium suum devovit. At invidia etiam  
hic cælo divitias suas invidit. Doluit fra-  
ter Ursi Landolphus in hereditatem pa-  
ternam